

Miscellanea

Deiparae Assumptio apud Philippum de Harvengt et Adamum Scotum.

Die prima Novembris anni 1950, Assumptio Deiparae in coelum, quoad animam et quoad corpus, a Summo Pontifice solemniter ut dogma fidei proclamata fuit.

In Bulla dogmatica « *Munificentissimus Deus* » hac occasione edita, sensum veritatis definitae explanat Summus Pontifex simulque rationes exponit ob quas ad solemnem illam definitionem dogmaticam proponendam inductus fuerit. Additque: « Ex ordinarii Ecclesiae Magisterii universali consensu certum ac firmum sumitur argumentum, quo comprobatur corpoream Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptionem — quam quidem, quoad caelestem ipsam « glorificationem » virginalis corporis almae Dei Matris, nulla humanae mentis facultas naturalibus suis viribus cognoscere poterat-veritatem esse a Deo revelatam, ideoque ab omnibus Ecclesiis filiis firmiter fideliterque credendam ». « Communis hujus fidei Ecclesiae varia inde a remotis temporibus per saeculorum decursum manifestantur testimonia, indicia atque vestigia ; eademque fides luculentiore in dies lumine panditur ».

Quae veritas apte exponebatur a P. BAINVEL, S. J., scribente de dogmate Immaculatae Conceptionis in periodico *Etudes*, t. COI (1904), *L'histoire d'un dogme*, pp. 612-632: « Pensée vivante, mais qui ne prend possession que peu à peu d'elle-même, et de son contenu. Quoi d'étonnant alors que cette pensée nous apparaisse comme une pensée qui évolue, qui s'ignore peut-être, qui ne trouve pas tout d'abord son expression ; qui peu à peu cependant prend conscience d'elle-même, s'analyse, se formule, se définit, achève de devenir elle-même par elle-même » (ib., p. 625).

Ecclesiae vero Antistites plures, sacri Oratores, theologi emi-
nuerunt in proponenda et explananda Beatae Virginis Assumptione, cujus festum liturgicum jam ab antiquis temporibus celebrabatur. « Crebriore usque numero, ita Summus Pontifex Pius XII in Bulla

supra memorata, officii sui esse duxerunt aperte ac nitide explanare mysterium, quod eodem hoc festo recolitur, atque edicere illud esse cum ceteris revelatis veritatibus conjunctissimum ». Inter theologos scholasticos non defuerunt, qui « animadvertendum putarent hoc Mariae Virginis Assumptionis privilegium cum divinis veritatibus miro quodam modo concordare, per Sacras Litteras nobis traditas. Varia protulere argumenta, quibus mariale ejusmodi privilegium illustrarent, quorum quidem argumentorum quasi primum elementum hoc esse asseverabant, Iesum Christum nempe, pro sua erga Matrem pietate, eam voluisse ad Caelum assumptam; eorundem vero argumentorum vim incomparabili inniti dignitate ejus divinae maternitatis atque etiam eorum omnium munerum, quae eam consequuntur; quae quidem sunt insignis ejus sanctitas, omnium hominum angelorumque sanctitudinem exsuperans; intima Mariae cum Filio suo cunctio; ac praecipuae illius dilectionis affectus, qua Filius dignissimam Matrem suam prosequeretur ». Oratoresque sacri in eodem contextu a Summo Pontifice allegantur.

PHILIPPUS DE HARVENGT, abbas Bonae Spei († 1187), Assumptionem corporalem Matris Dei agnovit et aperte exponit. Paucis verbis quidem, non insistendo in « argumentis » in traditione Medii Aevi allatis in favorem privilegii illius, Assumptionem a se admitti fatetur. Additque se apprime novisse scriptum quod illa aetate modo quam maxime praeclaro doctrinam illam docebat. Commentando nempe ultimum versiculum Cantici Canticorum: « Fuge, dilecte mi, assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum », ita scribit Philippus: « Est igitur Mater cum Filio non solum spiritu, de quo vel tenuis dubitatio non habetur, sed etiam corpore, quod nimirum incredibile non videtur, quia etsi hoc Scriptura canonica non clamat evidentibus documentis ad hoc tamen pia fides adducitur verisimilibus argumentis; quod etsi non satis probat quis in verbo et scientia repentinus, illud tamen dignum credi noster ille asserit Augustinus. Nec est molestum angelis si cum sponso sponsam, Matrem cum Filio thronum vident regium obtinere, et quem prius in gremio, et caelesti solio nunc: si humanam carnem vident supra se in Matre et Filio gloriosius honorari et apud nos inchoatas feliciter, illic feliciter nuptias consummari » (ed. Chamart, p. 285; Patr. Lat., 203, 488).

« Augustinus » in praesenti textu a Philippo citatus non est S. Augustinus, Doctor Ecclesiae. Constat enim nunc apud omnes

scriptum illud quod incipiente Medio Aevo influxum tam validum exercuit ut Assumptio Deiparae a multis, qua veritas pie credenda, admitteretur, non esse Sanctum Augustinum, episcopum Hipponensem. Quisnam ille pseudo-Augustinus fuerit, hucusque nondum constat, non obstantibus plurimis hypothesibus hac in re prolatis. Merito scribit P. BARRE, C. S. Sp., in *Assomption de Marie*, II (Etudes Mariales. Bulletin de la Société Française d'Etudes Mariales, 7^e Année), Paris 1950, pag. 123: « Pourquoi tant chercher à percer le voile de son anonymat ? La voix qui s'exprime dans le « De Assumptione », nous la connaissons bien: c'est la grande voix de la Catholica ». Et quod praecise Philippus noster de Harvengt hunc « Augustinum » affert in testimonium opinionis ab ipso expositae de Assumptione, probat Philippum optime ea quae sua aetate de dignitate Matris Dei deque ejus privilegiis dilucide exponebatur, novisse eaque pie sibi assimilasse. De cetero, « argumenta » a Philippo in favorem Assumptionis paucis exposita, scribendo « ad hoc pia fides adducitur verisimilibus argumentis », sunt praecise illa quae a fautoribus Assumptionis exponebantur et exponuntur. Merito enim scribit P. Barré, l. c., pag. 121 s.: « Aux yeux de tous les théologiens, la « preuve » rationnelle, la preuve stricte et rigoureuse n'existe pas. Le Pseudo-Augustin semble même exclure qu'elle soit jamais faite, lorsqu'il définit le rôle de la raison en pareille matière: ad quod ipsa convenientia rei quemadmodum dux et praevia creditur. L'effort intellectuel l'« achemine » certes vers la réalité mystérieuse ; il ne suffit pas à l'atteindre et à engendrer une véritable certitude ».

Apud ADAMUM SCOTUM Assumptio Deiparae fusius quam apud Philippum de Harvengt tractatur. Constat Adamum summo amore prosecutum esse coelestem Matrem suam (Cfr. P. PETIT, *Ad Viros Religiosos. Quatorze Sermons d'Adam Scot. Texte établi avec Introduction et Notes*. Tongerlo, 1934, p. 113 s. ; *La Spiritualité des Prémontrés aux XII^e et XIII^e siècles*. Paris, 1947, p. 192). Ad hoc paucis probandum, unum textum transscribimus e Sermone Adami habito in Dominica infra Octavam Nativitatis Domini. Agendo de templo Hierosolymitano, transit Abbas noster ad considerandum aliud templum Domini ; et in hac consideratione Deipara extollitur qua Dei Genitrix et Mater nostra dignissima. « Ipsa Domina nostra, et advocata nostra: spes et mediatrix nostra. Ipsa Dei Genitrix, Regina Angelorum, Amatrix hominum, superatrix daemonum, re-

fugium miserorum, solamen pupillorum, auxilium infirmorum, robur debiliū, confirmatio justorum, erectio lapsorum, absolutio peccatorum, laetitia Beatorum. Ipsa Patris tabernaculum, Filii cubiculum, Spiritus Sancti umbraculum, Trinitatis reclinatorium, coeleste habitaculum, incarnati Verbi domicilium, Dei templum. Sed verba sunt haec quae nimirum ante deficient, quam ejus plene praerogativa exponatur. Tanta est, quae in ea redundat plenitudo gratiae. Veneremur dilectissimi templum hoc ; gaudeamus et exulemus, et demus gloriam ei, exoremus in eo, et speremus de eo : et laudando atque precando, et confidendo non discedamus ab eo... Sanctum est hoc de quo loquimur, Beata et gloriosa Genitrix ejus, in quo de Spiritu sancto conceptus novem mensibus demoratur. O gloriosissimum et speciosissimum Dei unigeniti templum. Pande nobis ostium misericordiae tuae, et clementiae concede nobis introire in te, admitte preces nostras coram te. Voce nostra, in te, ad Dominum clamamus : ut exaudiat de templo sancto suo vocem nostram, et clamor noster in conspectu ejus, introeat in aures ejus. Nolite, fratres, discedere de templo hoc, effundite in eo orationem vestram, et tribulationem vestram in eo pronuntiate : Mater namque Christi est, et quam per eam transmittis orationem, exaudiet Deus, vestramque per eam sumet precem, qui pro nobis natus tulit esse tuus » (ed. Ghiselbrecht, p. 174).

De Beata Virgine Maria, potissimum loquitur Adamus noster in Sermonibus suis. Notum est sane plures Sermones Adami scripto consignatos et servatos esse. Plurimi ex iis jam editi fuerunt. Cfr. N. WEYNS, *Het Premonstratenser Kloosterleven volgens Adam Van Dryburgh*, Tongerlo 1948, blz. 21 v.). Ex 100 Sermonibus, de quorum exsistentia certi facti sumus, 47 editi fuerunt anno 1659 a Godefrido GHISELBERTO (Ghyselbrecht) (quae editio transsumpta est a MIGNE, in *Patrologia latina*, t. 198). Anno 1901, W. DE GRAY-BIRCH, 21 sermones edidit. Haec editio vero, juxta Fr. PETIT, *Ad Viros religiosos*, p. 123, « est extrêmement rare, le texte en est très défectueux ». Postea, anno 1934, Fr. PETIT 14 alios Sermones ad Religiosos edidit.

Porro, quaeri potest utrumnam et quidnam in Sermonibus illis Adami nostri Scoti contineatur relate ad Assumptionem Genitricis Dei.

PETIT, *Ad Viros Religiosos*, p. 114 censet parum relate ad hoc privilegium Beatae Virginis in Sermonibus Adae contineri. Scribit enim Petit. l. c. : « Au sujet de l'Assomption, il est beaucoup plus

réserve (qu'au sujet de la maternité et de la virginité perpétuelle). Il n'a ni certitude scientifique, ni foi fondée sur l'autorité, mais une opinion fondée sur la vraisemblance. Le corps de Marie n'a pu être le jouet de la corruption. Est-il dans le ciel ou sur la terre ? Sur l'autorité d'Augustin, on peut dire que le ciel était bien plus digne que la terre de la conserver. Voilà ce que la prérogative singulière de la sainte Vierge pousse à penser jusqu'à ce que l'autorité de l'Eglise se soit prononcée ».

P. BALIC, O. F. M., Rector Instituti Antoniani in Urbe, anno 1948, Romae publicavit duo volumina *Testimonia de Assumptione Beatae Virginis Maria ex omnibus saeculis*. Inter Auctores scribentes in aetate praeparatoria et introductoria Scholasticae (saec. VIII-XIII med.), nominantur auctores modo incerto et indeterminato loquentes, inter quos etiam citatur pag. 203 Adamus Scotus ; de quo, pag. 204, in nota 5 asserit de morte et glorificatione corporis mariani in diversis sermonibus Adami nullum explicitum testimonium inveniri. Quod iudicium Patris Balic, Praesidis Academiae Marianae, forte admitti posset si nullos alios sermones Adami haberemus praeter illos qui impressi inveniuntur in Migne, loco supra citato.

In Sermonibus enim Adami, qui legi possunt in editione curata a Gray-Birch, revera praeclara testimonia inveniuntur, in quibus Assumptio Deiparae verbis vere eximiis proponitur. In luce Traditionis catholicae de hac Divae Virginis Assumptione, quae ultimis annis longe clarior quam antea nobis nota evasit, Adamus enim testis vere praeclarus status fidei explicitae christianorum suae aetatis dici potest.

P. MAROCCO, S. D. B., jam in *Marianum*, XII (1950) 438 s. textum Adami refert in quo Abbas noster edicit quid pie de Assumptione Deiparae admittant fideles (Textus iste legi potest in *Analecta Praemonst.* XXVII (1951) 127). Notetur qua certitudinis ratione Adamus haec proponat: « Haec opinando dicimus, non sententiam praecipitamus. Haec nos cogit singularis tuae praerogativae consideratio, sentire de corpore tuo, quousque vera nos instruat auctoritas super hoc. Sic nobis pium videtur opinari, donec plenae certitudinis jubar possimus intueri, nec in hoc mendacium incurrere metuemus, quia quod quasi pro vero habemus, falsum esse nescimus ». Jubar illud plenae certitudinis vi definitionis dogmaticae anni 1950 nostris diebus splendet. Considerationes tamen variae ab Adamo aliisque Doctoribus Medii Aevi prolatae momentum suum servant.

Tandem anno 1950, Societas Gallica Studiorum Marialium (Société Française d'Etudes Mariales), uti thema generale suarum inquisitionum (sicuti duobus annis praecedentibus) indicaverat: Assumptio Deiparae. Inter magistros qui hoc anno verba habuerunt, erat P. CHENU, O. P. Tractaverat iste doctissimus Pater de « *La croyance à l'Assomption corporelle, en Occident, de 1150 à 1250 environ* ». Conferas *Bulletin de la Société Française d'Etudes Mariales*, VIII (1951), 13-32. Pagina 29 s. Adamus citatur inter illos qui illa aetate de Assumptione vere praeclara scripserunt. Huic expositioni Patris Chenu, R. P. BARRE, C. S. Sp., pp. 33-70 ejusdem *Bulletin*, addit « *Dossier complémentaire* », in quo plures textus ad Assumptionem Deiparae sese illa aetate referentes, indicantur. Plures textus tales hucusque inediti sunt.

Adamus noster Scotus non omittitur in hac serie. Adducit nempe nos Pater Barré ad sermones Adami *De Sanctis*, et quidem ad manuscriptum, saeculi duodecimi finientis, quod nunc asservatur Parisiis, in Bibliotheca dicta Mazarina sub numero 1003. Inter Sermones istos de Sanctis tres tractant de Assumptione. Sermones hi jam publicati fuerunt curante de Gray-Birch, anno 1901. Sed uti supra jam fuit notatum, juxta Petit, *Ad viros religiosos*, p. 123: « Outre que cette édition est extrêmement rare, le texte en est très défectueux, le copiste du manuscrit l'ayant fort souvent fort mal compris »; ideo opus inutile non facimus, quando in praesenti transscribimus eos textus quos refert P. Barré, l. c., pag. 46 s., ex Sermonibus « *De Sanctis* » Adami Scoti.

Inter « Sermones de Sanctis » qui in ms. Mazarine 1003 continentur, tres (12 ; 13 ; 14) ex professo agunt de Assumptione (M, fol. 113 v - 130 r), titulis additis.

I. — (Fol. 113 v - 118 v). De Assumptione beate marie semper virginis et qualiter regnans in celis nobis patrocinetur in terris. Mater Dei, fr. k., et virgo perpetua celi regina.

II. — (Fol. 118 v - 124 v). Item in assumptione beate virginis marie. Sermo de dignitate gloriose assumptionis eius et de spiritualibus profectibus nostris (Cum manuscriptum M titulos sermonum 13 et 14 inversos referat, titulus iste realiter est titulus sermonis sequentis). Nobilitas, fr. k., presentis festivitatis.

III. — (Fol. 124 v - 130 v). Item in assumptione sancte marie virginis. Sermo de purissimo corporis sui thesauro et de admirabili prerogativa assumptionis ejus (= titulus sermonis praecedentis), Omnium, fr. k., sanctorum festivitatis.

In Sermone II quaestio methodi qua fideles ad admittendam Assumptionem perveniant et qualis sit hujus veritatis certitudo tempore Auctoris, modo vere personali exponitur. Expositio ista Adami Scoti ita sese habet:

« (Fol. 119 r). — Et hec quidem de sanctissima et dignissima atque sincerissima anima tua dubitare, supra modum impium est ; sed ubi queso est preciosissimum (fol. 119 v) illud sanctissimum sancti spiritus templum, dico autem venerabile corpus tuum ? Illud inquam deitatis habitaculum et speciale verbi incarnati hospicium ubi est ? Non mandavit litteris istud aliquis precedentium patrum, et restat ut dum plenam super hoc certitudinem non habemus, pia quidem ad id opinione accedamus, non autem assertionem temeraria affirmare presumamus.

Hiis autem tribus modis, fide videlicet, opinione et intellectu multociens investigare solemus quod sensuum corporalium capacitate attingere non valemus, in primo auctoritatem in directum sequentes, in secundo verisimilitudinem apprehendentes, in tertio vero rationis certitudinem consulentes. Ex hiis tribus modis, duo veritatis certitudinem attingunt, fides et intellectus, sed illa veritatis involute, hec autem nudate, quia huic quidem ratio suffragatur, apud illa vero prorsus non admittitur. Opinio quoque, etsi non ad ipsum semper verum ascendit, veri tamen nonnumquam similitudinem apprehendit, nec est apud eam similitudo dampnabilis deceptio, quia id solum pie et caute sive irrefragibili dumtaxat obstinatione pro vero habet quod falsum esse penitus ignorat. Unde magis pro pia devotione laudanda, quam pro aliqua agnita falsitate dampnanda est.

Quae cum ita sint, ubi sit sanctissimi corporis tui gleba, o virgo gloriosa, pia et cauta investigare opinione, salva dumtaxat et auctoritate que fidem roborat et ratione que intellectum illustrat. Age ergo, o benignissima advocata nostra, quid de singulari dei et hominis dicemus hospicio sanctissimo corpore tuo ? Quod iuxta generalem humane sortis conditionem in putredinem non sit resolutum et pulverem, cur cunctabimur non tam tenuiter opinare quam pro certo affirmare, cum et nonnullorum quoque sanctorum corporibus hoc gratie munus indultum sit, nullumque ad illam usque dignitatis prerogativam qua tuum universa post filii tui corpus, quod et tuum quodammodo est, corpora longe transcendit, pertingere potuerit.

Sed ubi modo sit quid opinando dicemus, cum illud nusquam

in terra esse sciamus ? Utique quod in celo, quia, ut verbis utar magni et egregii doctoris Augustini, tam preciosum thesaurum dignius est celum servare quam terra.

Hec opinando dicimus non sententiam precipitamus. Hec nos cogit singularis tue prerogative consideratio sentire de corpore tuo, quousque vera nos instruat auctoritas super hoc, vel ubi sit ostendens, vel quod ibi non sit ostendens, vel quod ibi non sit asserens. Sic nobis pium videtur opinari, donec plene certitudinis iubar possimus intueri. Nec in hoc mendacium incurrere metuimus, quia quod quasi pro vero habemus, falsum esse nescimus. Sed ubicumque preciosissima illa gemma sit, de qua sine virili admixtione visibile nostrum dei filius suscepit, hoc certissimum nobis est quod magna et longe maior quam ullus mortalium comprehendere sufficit sensus, ipsis hodie in assumptione tua ad celos beatis superne patrie civibus exultatio est ».

J. B. VALVEKENS, o. Praem.

Prämonstratenserklöster Ursberg.

I. GRÜNDUNGSJAHR.

Die Ursberger Klostertradition ¹⁾ sagt, dass der Edelherr Wernher von Schwabegg ²⁾, der als Schutzvogt der Domkirche Augsburg vom Bischof von Augsburg das Schloss Schwabegg als Amts- und Wohnsitz erhalten hatte, mit seinem Sohn Wernher seinen bisherigen Besitz in Ursberg zur Gründung eines Klosters verwendet habe; dass in den Jahren 1119-1124 Kirche und Kloster samt Zugehörungen und Einrichtung erstellt wurden, dass das neue Kloster im Jahre 1125 Prämonstratenserchorherrn übergeben wurde; dass Bischof Hermann von Augsburg am 10. März 1125 den Prämonstatenserchorherrn Ulrich zum 1. Propst von Ursberg bestellt habe und dass der hl. Norbert persönlich seine Chorherrn aus dem Kloster Premontré in das neu erbaute Kloster Ursberg, welches das

¹⁾ Bei P. Grimo Kornmann: Regestae collegii Urspergensis; 6 Bände, lateinische Handschrift 1803. Ordinariatsarchiv Augsburg.

²⁾ Urkundlich bezeugt 1099-1130 als Schutzvogt der Domkirche Augsburg; nennt sich in einer Urkunde vom Januar 1104 bei Verhandlungen am kaiserlichen Hof zu Regensburg: Werner von Uresperch.